DISPVTATIO MEDICA INAVGURALIS, DE FEBRE PVNCTICVLARI.

QVAM

Auxiliante Divino Numine

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris

D. JACOBI TRIGLANDII, SS. Theologiæ Doctoris, ejuſdemque Facultatis in celeberrima Batavorum Academia, Profeſſoris primarii.

Nec non Conſenſu Ampliſſimi Senatus Academici

Et Celeberrimæ Facultatis Medicæ decreto

Pro Gradu Doctoratus & Privilegiis in Medicina conſequendis

Publice defendere Conabitur

GVILIELMVS MVLLERT, Alcmaria-Batav.

Ad diem 20. *Junij, horis locoque ſolitis.*



LVGDVNI BATAVORVM,

Apud *Gerardum Schattenberg.* ANNO 1650.

Spectatiſsimis, Prudentiſsimiſque

VIRIS,

D. GVILIELMO MVLLERT,
Parenti ſuo filiali amore in æternum proſequendo.

D. GVILIELMO CAMEY,
Cognato ſuo plurimum de ſe merito.

VT ET

Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro,

D. ADOLPHO VORSTIO,
Medicinæ ac Botanices Lugduni-Batavorum Profeſſori Celeberrimo, Promotori ſuo, de Studiis ſuis optime merito.

Hanc Diſputationem Inauguralem in debitæ obſervantiæ, benevolentiſque animi ſignum

Submiſſe

Offert & Inſcribit

GVILIELMVS MVLLERT,

Auth. & Reſp.

DISPVTATIO MEDICA
INAVGURALIS,
DE
FEBRE PVNCTICVLARI.

THESIS I.

INter affectus corpus humanum obſidentes, principem locum occupare mihi videntur, qui Cor vitæ arcem oppugnant. Ingentium enim hi Symptomatum invehunt catervam, & expulſionis ſunt difficilis. Horum è numero cum ſit Febris puncticularis, de ejus Natura, Cauſis, Signis, & Curatione, paucis inquirere propoſitum eſt. Et ut ab Etymo incipiamus: Febris hæc puncticularis dicitur à punctis, & quaſi puncturis illam concomitantibus, quæ Italis Petechie dicuntur, unde Latinis petechiæ, peticulæ: Græcis ἐξανθήματα, quod nomen tamen ad variolas, & morbillos etiam ſe extendit.

II.

Febris Puncticularis eſt Febris maligna continuo affligens, ſæpe Epidemica, in qua variis corporis partibus apparent ex-

anthemata pulicum morſibus ſimilia. Dico Febris maligna, quia majora adſunt Symptomata quam pro ratione Febris, ut externe apparet adeſſe deberent; quæ nec Ephemeræ, nec Synocho imputri, ullive putridæ aut hecticæ ſimpliciter, conveniunt. Addidi continuo affligens, ad expreſſionem ejus typi; qui frequenter Synochi Similis eſt, licet interdum tertianæ continuæ. Sæpe Epidemica, non enim ſemper, quia non repugnare videtur ut unus tantum hac Febri laboret, quo caſu haud Epidemica erit, quia plures non invadit. In qua variis corporis partibus, &c. differentiam important qua ab aliis Febribus malignis diſtinguitur.

III.

Cauſa hujus febris eſt humor maligne corruptus vaſis majoribus inhærens; Corruptionem talem nanciſcitur, vel ex aſſumtis, vel à Contagio, vel ab Aëre. Ex Aſſumtis ſi ea ſint pravi ſucci, qualia ſunt alimenta longo tempore aſſervata, in obſeſſis urbibus; vel boni quidem ſucci, at corruptioni facile obnoxii, ut fructus fugaces. A Contagio, quod agendo in humores talem diſpoſitionem iis impertitur, qua ſimulac præditi hanc Febrim producunt: Seminium hoc â corpore ægro diſſeminatur, vel per exſpirationem & halitum, vel per inſenſibilem tranſpirationem, vel per ſudores ſordeſque cuti adhærentes. Contagium hoc rarius ad diſtans eſt, frequentius per contactum. Ab Aëre, qui ad corruptionem humorum in corpore noſtro, concurrit vel vitioſa ſua conſtitutione; vel quia ei admixta ſunt inquinamenta, quæ vel ex infectis paludibus, lacubus, antris, hominum animantiumque cadaveribus contracta ſunt. Aër talis per inſpirationem attractus, humores vitiat.

IV.

Humoris corrupti tenuior portio, ſegregata à reliqua maſſa Sanguinea, ad Superficiem corporis delata, maculas illas puncticula-

ſticulares cauſat. Dixi tenuior, reſpectu portionis Sanguini adhuc permixtæ; Alicujus tamen craſſitiei eſt, ob quam per poros cutis non tranſudat. Maculæ hæ aliæ ſunt rubræ, aliæ lividæ, aliæ nigræ, interdum citrinæ ſive flavæ & virides, pro varietate humoris peccantis & corrupti.

V.

Signa Diagnoſtica hujus Febris, multa ei cum aliis malignis ſunt communia, qualia ſunt, à principio plerunque inſignis virium imbecillitas ſine cauſa manifeſta: Pulſus & urina aliquando in initio naturali ſimilis, aliquando ille parvus frequens & in primis debilis; Hæc mox rubicunda, turbata, non perſpicua. Proprium vero ejus ſignum ſunt exanthemata ſub axillis, in pectore, inguinibus, pedibus aliiſque partibus apparentia, pulicum morſibus ſimilia: A quibus ſi colore aut magnitudine non differant, hoc ſigno diſtinguuntur; quod in medio pulicum morſuum appareat veſtigium morſus, per compreſſionem non evaneſcens: In his nihil tale appareat, & compreſſa totaliter evaneſcant. In facie rarius apparent.

VI.

Prognoſis. Exanthemata valde tardè apparere malum, quia naturam imparem cauſæ morbificæ ſignificat. Symptomatice hæc excerni plerunque malum eſt, critice, vero bonum. Quæ copioſe erumpunt, vel multitudinem materiæ, vel Facultatem fortem, quæ parce contrarium, arguunt. Exanthemata quæ eruperant, intro vergere peſſimum eſt. Profluvium alvi ſuperveniens, perpetuo non eſt malum. Alleviatio cum macularum eruptione, ſemper ſuſpecta eſſe debet, quia morbus malignus eſt in quo quia acutus eſt, incerta eſt prædictio & ſalutis & mortis?

VII.

Indicationes in curatione hujus affectus petuntur à Cauſa,

 morbo

morbo & viribus. Cauſa vero qui humor corruptus eſt, ſui evacuationem poſtulat: quæ in principio antequam exanthemata eruperint (ſi vires conſtent) præmiſſo Cardiaco commode fit per purgantia leniora, ut ſunt Manna, caſſia, ſyr: roſar: ſolutiv. Aloë, rhabarbarum. Horum uſus vel in forma clyſteris vel hauſtus, tutus eſt: vehementium uſus, ut Scammonei, Colocynthidis fugiendus, ne ingens alvi Profluvium ſuperveniat. Vomitoriorum mitium tunc temporis etiam utilis eſt uſurpatio, ſi nauſea aut oris ventriculi morſus excitentur à portione humoris corrupti, adhuc in locis ventriculo vicinis hærentis.

VIII.

An venæſectio hac in febri locum habeat, à multis controvertitur? Quibuſdam arridet affirmativa Sententia, ajuntque & in principio, & in ſtatu, ſive exanthemata eruperint, ſive non, venam eſſe ſecandam. Aliorum animis tam alte infixa eſt negativa Sententia, ut ab ea ſe non ſinant, quovis morbi tempore, aut indicante avelli. Nobis diſtinctio placet; dicimuſque in principio antequam exanthemata eruperunt, ſi vires conſtent, & adſit indicans eductionis ſanguinis, tuto poſſe venam ſecari; At cum erumpunt, & poſtquam eruperint inutiliter, & noxie fit venæſectio, quia per eam impeditur motus naturæ ad extra, ob contrarium motum materiæ morbificæ impreſſum.

IX.

Sudorificis & Alexipharmacis eductio humoris corrupti peragenda apparentibus maculis (quanquam hæc omnibus aliis præmitti poſſunt ob malignitatem humoris.) Conveniunt ex ſudorificis, Carduus benedictus, Scabioſa, tormentilla: Ex Alexipharmacis Theriaca, Mithridatium, Diaſcordium fracaſtorii, Lapis Bezoar; quæ etiam ſudores cient; præterea Unicornu, Cortices, ſemen, ſuccuſque citri, granatorum, bolus armena, Terra ſigillata, cornu cervi, rad: Angelicæ, Zcorzoneræ

Ace-

Acetoſa, Smaragdus hoc in caſu feliciter fuere uſurpata. Ex his varia fiunt compoſita diverſis in formis, quas brevitatis ergo omittimus.

X.

Febris quia morbus calidus eſt refrigerantia indicat, at quia malignitas plerumque calorem in indicando vincit, ejus fere ratio ſolum haberi ſolet. Si tamen & calor moleſtus ſit, poſſumus eligere Cardiaca frigida ut aquam Endiviæ, *Violar*: *Roſar*: & addere iis Alexipharmaca minus calida, ut cornu cervi Succum citri, granatorum, &c. Atqui hac ratione utrique Succurrimus. Maculæ illæ ſi in declinatione non evaneſcant, inungi poterunt oleis diſcutientibus, ut chamæmelino, anethino, quibus quid nitri addatur. Fluxus alvi ſuperveniens ſi ſit citra levamen naturæ, aut copia peccet, ſiſtatur aſtringentibus Alexipharmaca vi præditis, ut Theriaca vetere, bolo armeno, corallo rubro.

XI.

Vires ſui conſervationem poſtulant præſtandam per ſimilia. Aër ſit purus, in quo degit æger, in calore parum excedens. Cibus ſit boni ſucci & concoctionis facilis: Talis eſt, caro agnina, vitulina, gallinaceum genus, panis triticeus, piſces ſaxatiles, ova recentia, &c. Sumantur ea in quantitate in qua naturæ oneri non ſint. Poſſunt etiam condimenta alterari ſucco citri, ribes, granatorum, acetoſa. Potus ſit cereviſia tenuis, aut medicamentoſum aliquod decoctum è ficubus, Tamarindis, cornu cervi. Excreta alvi ſi non procedant, provocentur clyſtere leni, aut ſuppoſitorio. In Vigiliis moleſtis exhibeatur Theriaca recens. Pleraque ex his etiam in præcautione locum habent. Ad Contagium autem, corpus Alexipharmacis munire utiliſſimum eſt. Cavendum autem diligenter, poſtquam exanthemata eruperint ne linteamina lecti mutentur, quia per hoc non ſemel, exitium miſeris ægrotis allatum fuit.

FINIS.

ANNEXA.

I.

An Febris puncticularis Veteribus fuerit cognita? Aff.

II.

An Amuleta, Epithemata, Veſicatoria, in hac Febri locum habere poſſint? Aff.

III.

An Amuletum ex Arſenico, calefactum corpori noxam inferat? Neg.

IV.

An Aurum, Argentum, Margaritæ, ſint Alexipharmaca? Aff.